

tionem et fermentationem in aqua, certam diversam naturam acquirit; nam rita consubstantiatur cum aqua ut nunquam postea possit segregari; saltem hoc consuetudo non admittit. Vix ergo potest permitti cum Tamb. panem in vinum, aut aquam infundere, et illico illum sumere; quia tunc non intercedit fermentatio; aut cum Roncag. permitti possunt 4. aut cum Salmanticensibus ad summum 5. uncia panis aridi decocti in aqua. Et idem dicendum de leguminibus aqua elixatis. Probabiliter postea Cast. Laym. Bonac. Azor. Viva Mazzot. et Salmant. permittunt vesci jusculo cocto cum oleo, aut aceto, aut vino decocto; advertendo tamen cum Viva quod oleum, acetum, et vinum decoctum computandasunt in pondus 8. unciarum, dum hæc non habent rationem potus (1).

19. Quoad dispensatos cum quæsitus fuisset noster Pontifex Benedictus XIV. an ipsi in refectiuncula possent uti carne, respondit (ut legitur in Bulla *Libentissime*) ita: *Non licere, sed opus habere eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes recte et meticolosæ conscientie.* Post hanc responsionem multi dd. dicebant dispensatos ad carnes, aut ad lacticia posse in refectiuncula casei parum (parum casei dictum est, non ovum) sumere, modo uncia, aut sesquiuncia non excederet, et hoc videbatur probabile juxta usum qui apud multos observabatur; sed postea cum a quodam confessario ad sacram Pœnitentiarum data fuissent litteræ de hoc, et cum ipse Pontifex de sua sententia quæsitus esset, respondit Pœnitentiarum Papam oretenus declarasse vetitum esse etiam caseum; quam quidem declarationem hic affero: *Sacra Pœnitentiarum... optime conscia mentis Sanctitatis suæ, de auctoritate speciali ejusdem respondit, quod in serotina refectiuncula non licet carnem, vel lacticia adhibere.* Romæ in *S. Pœ-*

(1) L. 3. n. 4029.

nit. die 10. Februarii 1756. Et cum adhuc dubitatum fuisset a quibusdam de fide præstanda huic responso, ab eodem confessario scriptum fuit ad ipsum Pontificem, et hoc responsum venit: *Sacra Pœnitentiarum de mandato sanctissimi Domini, qui suis oculis retrospectam epistolam dignatus est legere, respondet quod Sanctitas sua dixerit. vera esse, et pro veris habenda quæ constat ab eadem Pœnitentiarum fuisse rescripta.* Romæ die 23 Julii 1756., et hæc responsio originaria apud me conservantur. Nonnulli postea dixerunt præfatam declarationem opus habere promulgationem, ut obligare possit; sed juxta illud quod diximus *Tract. 2. n. 73. et 74.*, cum declaratio ab ipso legislatore, qui declarat mentem suam facta est, non indiget promulgatione (2). Et Salm. in *append. Tract. 6. pag. 98. num. 27.* afferentes præfatam Bullam, varias illationes deducunt, et inter eas est ista: *Infertur 2. (sunt verba Salm.) nec ova nec lacticia esse materiam collationis serotinae pro his qui dispensati sunt, et hanc dant rationem; ex eo quod horum ciborum ab iis qui rigoroze jejunt in tali collatione esus non adhibetur.* Nunc ad hujusmodi confirmationem notum sit nuperrime nostrum regnantem Pontificem Clementem XIII. edidisse Bullam incipientem, *Appetente, etc.* sub die 20. Decemb. 1759. qua Pontifex, cum absum aliquorum noverit sumendi extra prandium quasdam potiones lacte mixtas; illum condemnavit, declaravitque prædecessorem Pontificem Benedictum XIV. censuisse non licere dispensatis uti nec carnibus, nec lacticiis, nisi in unica comestione extra quam ipsos non aliter gerendos esse dixit, quam alii qui nulla dispensatione fruuntur. Hæc verba Bullæ: *Nova infringendis jejuniis legibus vel opinionum commenta, vel a vera jejuniis vi et natura abhorrentes consuetudines humani pravitate inge-*

(2) Lib. 2. c. 4027. v. Hlc. notand

ni novissime sint invecæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusus illum censemus omninoq. numerandum, quem rumor quidam ad nos pertulit; cum nonnulli, quibus ob justas et legitimas causas ab abstinentia carniū dispensatum fuerit, licere sibi putant portiones lacte permixtas sumere, contra quod prædicto Prædecessori nostro visum fuerit, quicquid. tam dispensatos a carniū abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus æquiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere. Et quæ sint ea, quæ a carne trahunt originem, habetur a *can. Denique, dist. 4.* ubi dicitur: *Quæ trahunt originem sementinam a carnibus, ut sunt ova et lacticia.* Itaque concludendum, dispensatis in collatiuncula nullum alium permitti cibum, nisi illum qui non dispensatis conceditur.

20. Si quis autem frangit jejunium, manifestare debet confessario quomodo violavit illud, an pluries comedendo, an carne vescendo; nam quoties quis vescitur carne aut lacticiis, toties peccat; sed si comedisset cibos communes, sed pluries in quantitate notabili, non amplius teneretur ad jejunium; ita tenent communiter, Azor. Cajet. Suar. Tol. Castrop. Sanch. Laym. Anacl. Roncag. Holzm. Salm., etc. contra paucos: quia essentia præcepti de abstinentia a carnibus consistit in abstinentia, quare semper durat obligatio ab illis abstinendi: sed essentia præcepti non comedendi pluries consistit in unica comestione, ut docet s. Thomas (1): *Ecclesie moderatione statutum est, ut semel in die a jejuniis comedatur.* Quare destructa essentia præcepti secunda comestione, jam præceptum solutum est, nec potest (1) 2. 2. q. 147. a. 6.

test amplius observari (2). Questio autem fit, an qui inculpabiliter bis comedit in quantitate notabili, debeat in reliquo diei abstinere ab alio cibo? Laym. Bonac. Castrop. Holzm. Sporer, etc. negant eadem ratione: sed probabiliter mihi videtur oppositum Azorii Valent. Sa, et Nav. quia licet qui violat jejunium inadvertenter, jam materialiter illud frangit; nihilominus videtur, advertendo postea ad obligationem, teneri ad illud observandum, ne solvat illud formaliter (3).

Dictum est in quantitate notabili, nempe ultra duas uncias, quæ putatur materia parva, ut dicunt Sanch. Viva Salmant. Vivald. Turrian. Leone Tambur. Leand. Sporer Busemb. Elbel et alii. Sed si quis pluries in die sumeret aliquid parvum, quod deveniat ad grave, peccaret graviter, ut habetur ex prop. 29. ex damnatis ab Alexand. VII. Nota etiam quod in carne possit etiam dari parvitas materiæ, sed hæc est multo magis limitata: dicunt Salm. Diana et Roncag. quod quantitas excedens octavam partem uncia est materia gravis (4). Permittunt Salm. cum Diana posse sumi duo crustula ex ovis, et butyro confecta (vulgo *ciambelle*); sed melius dicunt Ledesma et Villal. quod solum potest excusari ratione parvitas materiæ (5).

21. Tertia conditio demum jejunii est hora refectiois. Hæc hora olim erat hora post occasum solis. Deinde antea facta fuit ad horam Nonæ. Sed a sæculo XIV. fuit anticipata ad horam Sextæ, nempe ad meridiem. Hinc dubitatum fuit an notabilis hujus horæ anticipatio in refectioe sit gravis culpa? Affirmat prima sententia cum Azorio, Sylvio, Sanch. Natal. Alex. Antoine Franzoia Cuniati, ac Navar. Abul. Covar, et aliis apud Salm. et Concina, qui pro hac sententia refert adesse 24. auctores (6). Id probatur ex *can. Solent*

(2) lib. 3. n. 4030. (3) lib. quar. 2. (4) num. 4029. v. In confess. (5) ibid. (6) Azor. 1. 1. 7. c. n. qu. 4. Sylvius.

50. *dist. I. Concilii Cabillonensis, ubi dicitur: Nullatenus jejunare credendi sunt qui ante manducaverint quam vespertinum celebretur officium.* Hinc clare educitur quod eo tempore (in quo refectio erat præscripta ad horam Nonæ) hora jam spectabat ad substantiam jejunii. Proinde s. Thomas scripsit: *Cum Ecclesia instituit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit* (1). Alii vero negant hodie culpam esse gravem anticipationem refectiois, ut Lessius Tolet. Bonac. Laym. et Salmant. cum plurimis, qui observari possunt apud nostrum opus morale (2). Dicunt istijuxta præsentem consuetudinem, horam non pertinere ad substantiam jejunii. Sed hæc ratio (pace tot auctorum) minime suadet, nam ipsimet. utsunt Laym. et Salmant. (3), non negant olim præceptum observandi horam fuisse grave, et quidem ad substantiam jejunii pertinuisse. hoc posito, donec non probetur hodierna consuetudo antiquo gravi præcepto derogasse, illud sine dubio positum; sed hæc consuetudo non probatur, vel saltem non est certa, stantibus tot auctoribus qui illam negant. Quapropter, licet quondam secundæ sententiæ adhæsi, re tamen melius animadversa, tunc illam minime probabilem censeo. Deinde dubitatur quanam sit notabilis hæc anticipatio velita sub gravi? hora enim jejunii moraliter mensuranda est, ut docet s. Thomas: *Ad jejunium requiritur*

tom. 3. in 2. 2. q. 147. art. 7. ad concl. 3. Sanch. I. 5. cons. de obs. jejun. c. 1. dub. 28. Nat. Alex. I. 4. c. 5. art. 7. reg. 43. Antoine, tr. de virtute moral. part. 1. post. cap. 3. append. de jejun. eccl. q. 2. Franzoia in Bus. pag. 213. Anim. 3. Cunil. tract. 12. cap. 1. §. 2. n. 2. Alii apud Salm. tr. 23. cap. 2. n. 86. Conc. tom. 5. pag. 275. qu. 7.

(1) S. Thom. in 4. dist. 15. qu. 3. a. 4. ad 3.—(2) Opus nostrum lib. 3. num. 4016. v. quer.—(3) Salm. tr. 23. c. 2. n. 9. Laym. de observ. jejun. I. 4. tract. 8. c. 1. n. 11.

hora determinata non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam estimationem, sufficit enim quod sit circa horam nonam (4). Hinc alii dicunt anticipationem notabilem esse plus quam hora; idque asserunt Salmant. ab omnibus admitti: sed Natalis Alexand. reprobatur. Alii vero communiter assignant, tanquam gravem anticipationem unius integræ horæ; ita Nathalis Alexand. Sylvius, Azor. Holzman Concina Antoine Cuniliati et Franzoia locis citatis. Alii qui autem auctores asserunt mendicantes habere privilegium a Leone X. anticipandi refectioem per duas horas in hyeme, et per tres in æstate. Sed Franzoia et Natalis Alexand. dicunt de hoc privilegio documenta non ostendi, imo inquisitione adhibita non reperiri. Dicunt vero Azor. Silvest. Palud. et Nav., posse excusare a culpa hanc anticipationem quamcumque rationabilem causam, nimirum negotii urgentis, debilis complexionis, necessitatis prædicandi, docendi, vel legendi in mensa, incipiendi iter, inserviendi hospitibus, exercendi urbanitatem cum amicis, attamen mihi suasum non est quamcumque harum causarum satis esse ad excusandum a præcepto, quod etiam hodie est grave, sicut ostendimus.

PUNCTUM II.

DE CAUSIS EXCUSANTIBUS A JEJUNIO.

22. I. De dispensatione, et quis dispensare potest.
23. II. De impotentia physica.
24. De impotentia morali.
25. De adolescentibus, et senibus.
26. et 27. III. De labore.
28. ad 30. De viatoribus.
31. De artificibus opulentis.
32. Si artifex potest sine gravi incommodo jejunare.
33. Qui sine causa suscipit aliquem laborem.
34. IV. De pietate, et quis hac causa sit excusatus.

22. Quatuor sunt causæ quæ excusant a jejunio: dispensatio, impotentia, et pietas: de singulis seorsim loquamur. I. Excusat dispensatio. Potest dispensare in jejunio 1. Papa quoad universum populum fidelem. 2. Episcopi, sed isti cum solis suis subditis, et tantum in particulari; nam ad dispensandum cum integra communitate circa qualitatem ciborum Sedi apostolicæ reservatum est, ut declaravit Benedictus XIV. in Bulla *Non ambigimus*. Dubitatur an Episcopus ob causam particularem possit dispensare, aut commutare jejunium universale una vice, aliqua urgente causa occurrente, v. g. si adesset periculum quod alias jejunium non observaretur. Multi id affirmant, ut Azor. Sanch. Cajet. Laym. Salmant. etc.; sed Benedictus XIV. in Bulla *Prodiit jam dudum* §. 10. dixit contrariam opinionem esse communiorē, et magis in ratione fundatam, et ita ipsum respondisse aliquibus Episcopis Italiæ: nihilominus dixit, quod cum pontificia auctoritas eo pertingat, quo ordinaria nequit pervenire, ideoque Episcopis licentiam pro illo anno imperlitus est, ut transferre possent vigiliam s. Mathiæ quæ in ultimo bacchanaliorum die contigerat (1). 3. Parochi etiam possunt dispensare in jejunio cum aliquo suo subdito, ut dictum est *Tr. 2. n. 59*. Et hoc etiam præsertim Episcopo, ut communiter dicunt Sanchez Azor. Conc. Salm. etc. quia talis jurisdictio competit parochis ob consuetudinem, quæ utique jurisdictionem confert, ideoque *cap. contingat de foro comp.* Et idem possunt vicarii parochorum qui exercent actus parochiales, modo parochus non repugnet; Sanch. Pal. Salm. et. (2). 4. Prælati regulares, etsi locales, et eorum vicarii idem possunt cum subditis, et cum seipsis. Sed omnes isti Superiores nominati, excepto Papa, nequeunt dispensare nisi ex justa causa, secus dispensatio est irrita (3).

Quod autem ad subditum spectat, ait s. Thomas (4), quod si causa quæ a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi, præsertim cum sibi non esset facile Superiorem adire (hoc intelligitur ob suam conscientiam majorem quietem): sed si causa est dubia, debet tunc sine dubio ad Prælatum confugere. Hic notandum quod si festum patroni in aliquem diem jejuni incidit, debet jejunium ad præcedentem diem transferri: sic docet Bened. XIV. in Bulla *Prodiit*, die 30. Jan. 1751. cum Cajet. Sanch. Consil. *lib. 5. c. 1 d. 5. n. 27.* et aliis communiter.

23. II. Excusat impotentia, aut physica, aut moralis Ob impotentiam physicam, excusantur 1. infirmi, quibus jejunium potest esse notabili noxio; et ita pariter convalescentes, aut debiles qui nequeunt alimento sufficienti in unica comestione se reficere. 2. Mulieres prægnantes, aut lactantes, quibus imo non est permissum jejunare (nisi semel aut bis, si mulier est robusta); sed amplius in die jejunii permissum est eis vesci etiam carnibus, si qua est debilis, aut puer fuerit infirmus (5). 3. Pauperes excusantur, qui destituti sunt cibo unicæ comestioni sufficienti; ut dicunt omnes cum s. Thoma (6), qui excusat eos, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat. Unde valde probabiliter dicunt Sanch. cum Angel. et Ronc. ac Salmant., quod ii qui nihil aliud quam panem et herbas aut legumina. habent, non tenentur ad unicam refectioem; cum hujusmodi cibi tenuis sint alimenti, et in tantum eis sufficiunt qui ad hæc obsonia sunt assueti, quia pluries in die ad repletionem se reficere solent (7).

24. Ob impotentiam moralem excusantur, 1. omnes qui jejunare nequeunt sine gravi incommodo, aut difficultate extrinseca. Hinc 2. excu-

(1) lib. 3. n. 1032. ad 2. v. Episcopi — (2) ibid. ad 3. v. Parochi. — (3) ib. ad 4. v. Possunt.

(4) 2. 2. q. 147. a. 4. — (5) I. 3. n. 1033. — (6) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. — (7) I. 3. n. 1035. v. Excusantur pauperes.

santur illi quibus jejunium gravem capitis dolorem affert; Castrop. Less. Sanch. Laym. Salmant. etc. Dicunt nonnulli hujusmodi teneri mane collatiunculam sumere, et sero cœnare ad refectionem; sed probabiliter eos excusant ab hoc onere Filiuc. Elbel Viva Tamb. Fagund. et alii multi; quia refectionem usque ad vesperam differre nunc temporis est medium extraordinarium et difficile, cum in eo non leve perferatur incommodum: proptereaque antiqua disciplina immutata est. 3. Milites sive in castris sive in stationibus morentur, Roncaglia Concina Pasq. Salmant. et alii communiter. 4. Uxores, si jejunando gravem paterentur virorum indignationem: et viri si aliter fiant impotentes ad reddendum conjugale debitum. Sanch. Cajet. Nav. Laym. Salm. Concina etc. Dictum est impotentes ad reddendum, non vero excusantur si tantum fiant minus potentes ad reddendum, vel impotentes ad petendum; nisi casus esset quod vir, abstinendo a petitione, nequiret amovere ab uxore periculum incontinentiæ, aut suspicionem quod ipse aliam diligeret mulierem (1).

25. Excusantur 5. adolescentes qui non adhuc experierint 21. annum. 6. Senes sexagenarii. Sed hic dubitatur an hujusmodi senes exempti sint etiamsi sint viribus validi? Negant Bonac. Laym. Filiuc. etc.; sed multi probabiliter affirmant, ut Sanch. Castrop. Azor. Ronc. Hotzm. Salm. Mazzotta, Elbel Viva et alii; tum quia hæc est consuetudo universalis: tum quia esset nimis scrupulosum ei cui discutiendum esset, an ipse sit, vel ne satis robustus ad jejunium sustinendum: tum etiam quia (et hæc est potior ratio) hujusmodi senes ob defectum caloris naturalis nequeunt semel alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori; et licet nonnulli in tali ætate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum, et inconstans, cum negari

(1) n. 1034. ad 4. v. Excusantur ux.

non possit horum vires in diem deficere, et in interitum prolabi, adeo ut, si in morbum incidunt, difficulter convalescunt perfecte. De qua re scripsit Galenus senibus simili ratione ac iis, qui ex morbo convalescunt victum esse curandum (2). Et ad excusandum sexagenarium a jejunio sufficit annum 60. esse inceptum, ut dicunt Castrop. Angles Sa Naldo Viva Busemb. Mazzotta etc., quia in favorabilibus annis inceptus habetur pro completo (3). Alii excusant a jejunio etiam mulieres quinquagenarias, sed hæc opinio (nisi aliqua particularis circumstantia concurreret infirmitatis, aut debilitatis) est a multis reprobata, a Laym. Tamb. Croix etc. Quare Diana dubitat de ejus probabilitate (4). Qui autem voveret jejunare, et expresse diceret usque ad mortem, aut per totum vitam meum cursum (quidquid alii dicant) nos dicimus hunc teneri ad jejunandum etiam post annum sexagesimum. Secus vero judicandum (ut tenent Elbel et Anacle.) de eo qui sine tali expressione, et nihil ad ætatem sexagenariam advertens voveret; quia supervenit notabilis mutatio, quæ, esto non fuerit prævisa, excusat a voto, juxta dicta *Tract.* 5. n. 23. et 35. de voto. Et idem nos dicimus utendo distinctione de jejunii regulæ, quæ a Religiosis promittuntur (5).

26. III. Excusat labor. Imprimis adnotanda est prop. 30. damnata ab Alexandro VII. quæ dicebat: *omnes officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, etc.* Hæc præpositio merito damnata fuit, quia erat nimis generalis, et juxta eam excusaretur quicumque laborat, sive ex officio, sive animi gratia, sive labor sit compatibilis cum jejunio, sive incompatibilis, quod falsum est. Cæterum et hodie nemo est qui dubitet quin omnes artes, quæ sine ni-

(2) l. 3. n. 1035. et 1036. — (3) ib. in fin. — (4) n. 1037. — (5) n. 1038.

ma corporis defatigatione exerceri non possunt, excusent a jejunio. Hinc ab illo excusantur fossores, agricolæ, lapicidæ, figuli, textores, lanarii, fuliones, bajuli, aurigæ, nautæ, remigantes, fabri lignarii, ferrarii, murarii, tabellarii, sutores, furnarii, coqui qui multas dapes multis personis parant, si fere per diem laborant, typographi prælum versantes. Servi qui occupantur in laboribus majoribus, non autem famulæ, quæ nent, vel in aliquem levem laborem incumbunt; mercium venditores qui urbem percursant: ecclesias ornantes, scalas huc illuc circumferendo. Sed hi omnes intelliguntur tunc excusari cum majorem diei partem consumant in hujusmodi laboribus (1).

27. Barbitonsores ordinarie non excusantur, nisi quia aliqui (ut dicunt communiter Sanch. Less. Castropal. Concina Mazzotta etc.) ob laboris quantitatem, aut ob debilitatem complexionis, jejunando suam artem exercere non possent. Idem dicimus de sartoribus cum Roncaglia Concina et Salmant. Idem quoque dicimus de notariis, scriptoribus, pictoribus et horologiorum artificibus, sed de illis nimirum qui horologia parva faciunt, nam pro magnis labore magno opus est (2). Alii vero absolute excusant molitores, argentarios, et sculptores. Sed pro istis pariter expendendæ sunt circumstantiæ præ oculis semper habendo illam regulam communiter acceptam, quod qui artem exercere nequit (licet de se non laboriosam) sine magno incommodo, spectata sua debilitate, aut alia particulari causa, non tenetur ad jejunium (3).

28. Excusantur a jejunio etiam illi qui per magnam diei partem longum iter pedestre agunt, ut sunt muliones et agasones. Advertendum tamen quod si quis eorum, completo itinere, et alia refectione non sumpta prius, cibum quantum satis acci-

(1) n. 1041. — (2) ib. v. Barbitonsores. — (3) ib. v. Alii.

piat, tunc secundam refectionem sumere non potest, nisi die sequenti iter prosecutus esset. Præterea quisque (si commode potest) tenetur iter differre, ne reddatur libera jejunio ut docet s. Thomas (4), quem sequuntur Less. Laym. Tol. etc. et juxta id quod paulo post dicemus n. 33. Sed si quis jam iter incepserit, et interim dies jejunii contigerit, non tenetur iter interrumpere, ut jejunet, ut dicunt communiter Sanch. Laym. Abul. Sporer etc. (5).

29. Quæritur 1. quale iter sufficiat ad excusandum? Putat Pasqualigus satis esse iter septem milliariorum, sed hæc opinio ab aliis rejicitur, qui saltem requirunt iter 4. aut 5. leucarum (nempe 12. aut 15. milliariorum, nam terna millia faciunt leucam unam, sive unam horam itineris, ut dicit Croix); ita Palus Viva Salm. Diana et Trull.; sed Croix cum Bonac. Fill. etc. requirit saltem 4. leucas. Si tamen via esset difficilis et aspera, aut iter agens esset debilis, aut itineri non assuetus, adeo ut sine gravi difficultate jejunare nequiret, tunc dicunt Sanch. Salmant. Ronc. et Croix satis esse ad eum excusandum iter etiam sex milliarium (6).

30. Quæritur 2. an excusetur a jejunio iter faciens equo aut rheda? Ab Alexandro VII. damnata fuit hæc 31. propos. *Excusantur absolute omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter diei conficiant.* Cæterum communiter dd. excusant eos qui ita per plures dies iter agunt: Laym. et Viva requirunt iter octo dierum, sed hoc videtur nimis rigidum. Attamen idem Viva advertit non excusari a jejunio qui iter agendo sine gravi incommodo jejunare potest. Et contra etiam recte dicunt Azor. Sanch. Tolet. Ronc. Salm. Croix etc. etiam iter unius diei posse excusare ali-

(4) 2. 2. qu. 147. art. 4. ad 3. — (5) l. 3 n. 1047. — (6) ib. v. Sed dubit.

quem qui illud magno labore conficere deberet (ut contingit cursoribus), aut esset viribus debilis, aut tempus pluvium, et via aspera et laboriosa, aut iter esset extraordinarium. Sed iter 8. aut 10. leucarum non esse extraordinarium putant Sanchez Tolet. Salmant. Corell. etc. (contra Machado Dianam etc.). Rationabiliter ait Viva itineranti potius vescendum esse lacticiis, et servare jejunium, quam cibis levioribus vesci qui eum sustentare non valent, et postea pluries refici (1).

31. Quæritur 3. an artifices divites artes laboriosas exercentes teneantur jejunare? Affirmat p. Concina cum Durando et Armilla. Sed communiter negant Silv. Sanch. Nav. Less. Ronc. Tol. Viva Salm. Elbel, et alii plures, quia in bonum publicum vergit, ne artifices ab opere propriæ artis desistant: nam si diebus jejuniorum tantum pauperes illis deberent vacare, res publica detrimentum sentiret. Et pro hoc omnes citati aa. afferunt expressam declarationem Eugenii IV. an. 1440. ubi dixit: *Artifices laboriosas artes exercitantes, et rustici, sive divites, sive pauperes, non tenentur jejunare sub præcepto peccati mortalis etc.* (2).

32. Quæritur 4. an teneantur ad jejunium artifices qui sine gravi incommodo jejunare possunt? Alii ut Tamb. Pasqual et Leand. absolute id negant, tum ex consuetudine contraria, tum quia leges non considerant casus extraordinarios. Alii vero communiter et probabiliter affirmant, ut Bon. Regin. Conc. et Viva, semper ac jejunando grave incommodum non patiantur: modo hoc manifestum sit, cum in dubio præsumptio stat pro exemptione a jejunio. Hæc secunda sententia speculative videtur probabilior, dum lex generaliter obligat quemlibet qui sine gravi incommodo jejunare potest, sed in praxi difficulter invenitur qui ex hujusmodi laboribus non fatigatus, aut debilis

(1) l. 3. n. 4047. Dubit. 2. — (2) n. 4042.

pro crastino labore derelinquatur (4). Idem dicimus de illo artifice qui diem aut biduum vacat a labore, quia licet sit sententia communis cum Azorio Sanch. Roncag. Bonac. Croix etc. quod illo biduo non tenetur ad jejunium (in primo die ob laborem hesternum, in secundo ob crastinum), nihilominus si præciso gravi incommodo potest jejunare, tenetur, ut recte dicunt Bonac. et Viva, contra Sanchez et Elbel (5).

33. Quæritur 5. an peccet qui sine justa causa laborem assumit, quo liberatur a jejunio? Alii negant ut Ronc. Bon. etc. modo eo fine laborem non suscipiat, ut a jejunio eximatur. Alii ut Salm. Pasq. etc. eum excusant, licet in jejunii fraudem talem laborem assumat, dicentes licite eum suo jure uti, quo liberatur a jejunio. Nos vero dicimus peccare, licet non laboret in fraudem, et ita tenent Palaus Sanch. Laym. Croix et alii, ut enim diximus *Tract. 2. n. 20.* omnis lex exposcit, ne sine justa causa impedimentum apponatur, quominus observetur. Et idem aperte docet s. Thom. (6) dum dicit peccare eum qui alicui operi vacat, ex quo postea impeditur a Missa audienda; et rationem affert: *Qui enim vult aliquid, cum quo aliud esse non potest, ex consequenti vult illo carere.* Dictum est peccare; ceterum si quis opus aggreditur animo jejunandi, iste postea non peccaret, si illo defatigatus jejunium solveret; nam omnes communiter, Laym. Conc. Silvest. Sanch. Palaus etc. conveniunt in affirmando, quod licet quis in fraudem præcepti aut alio fine pravo jam aliquo labore gravi defunctus est, jejunare non tenetur; quia tunc jam evasit moraliter impotens ad jejunandum. Insuper, ait Sanchez, quod si quis laboraret ex aliquo fine honesto, v. g. ut viseret conjunctos, ut venationi, aut ludo pilæ indulgeat, iste non peccaret: sed huic sic ge-

(3) l. 3. n. 4043. — (4) n. 4044. — (5) l. 2. q. 74. a. 3.

neratum asserto recte contradicunt Abely et Sporer, si iter, aut labor suscipiatur ex puro animi solatio. Qui vero aliquem laborem gravem aggreditur ob magnum lucrum, dicunt probabiliter Nav. Cajet. Laym. Sanch. Sporer. Elbel etc. eum non peccare, licet non laboraret ex proprio officio (1). Huc refertur quod dictum est *Tract. 6. n. 22;* nam juxta *L. un. c. de sent. magni lucri amissio* pro gravi damno habetur.

34. IV. Excusatur pietas, cum v. g. deberet quis in aliquod pium opus se applicare, quod esset majoris meriti quam jejunium. Et hoc admittunt Sanch. Bon. Armilla Gabr. Salmant. etc. (contra alios), licet opus non exerceretur ex officio, aut obedientia, sed ex mera devotione; modo in aliud tempus differri non possit (2). Hinc excusant dd. 1. eos qui magno labore assistunt pluribus infirmis, Castrop. Holzm. Salmant. etc.; 2. eos qui peregrinationem aggressi sunt, quæ valde conferret gloriæ Dei, et populi communi ædificationi, aut propriæ animæ magno profectui, ut Sanch. Castr. Silv. Holzm. Salm. etc. modo non possint eam commode differre, ut dictum est, et ut recte limitant Less. Laym. Salm. Holzm. cum s. Thoma (3) qui sic ait: *Si peregrinatio, aut operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, non sunt Ecclesie jejunia prætermittenda.* Sed si peregrinatio jam incepta esset, et interim aliqua dies jejunii accideret, non debet ideo interrumpi, Laym. Abul. Sanch. Salm. Sporer etc.; 3. concionatores qui in quadragesima quotidie concionantur, ratione studii, et corporis agitatione; et præcipue hoc valeret pro Missionariis, qui vehementiori agitatione prædicant; ita dicunt communiter Wigandt Cajet. Nav. Tolet. Salmant., etc. Cæterum ex me dico quod sacri oratores, qui potius exemplo quam verbis prædi-

(1) l. 3. n. 4046. — (2) n. 4048. — (3) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 3.

care debent, pro viribus efficere deberent jejunium observare. Nec assentire possum (generaliter loquendo) iis dd. qui etiam excusant eos concionatores qui ter aut quater in hebdomada concionantur; 4. multi excusant cantores qui jejunando vocem amitterent, et lectores scientiarum (Sanch. addit et magistros Grammaticæ) qui magno studio et labore indigerent. Et idem dicunt de advocatis, et iudicibus, qui animum valde intentum deberent ad studia adjungere, ut suis muneribus satisfaciant, nam isti ob spirituum consumptionem opus habent cibo, sin majori, saltem frequentiori. Ita Castrop. Ronc. Salm. Sanch. Sporer. Viva etc. excusant confessarios, qui extraordinarium laborem subitari sunt, ut satisfaciant pœnitentibus qui frequenti concursu confluant. Sed bene advertit Tamburin. omnes istos tunc excusari, cum jejunando suas partes adimplere non possent; et eam impotentiam debere esse patentem, quia in dubio possidet lex jejunii. Insuper advertunt Laym. Nav. Cajet. Silvest. Tol. et Sporer, quod si quis non haberet causam sufficientem qua excusari possit a jejunio quadragesimali; sed contra ipse in bona fide putaret justam causam habere præcepto satisfaciendi ter vel quater tantum in hebdomada jejunando, non debet confessarius hunc obligare ut quotidie jejunet, cum adest periculum ne postea quotidie omittat jejunium.

CAPUT II.

DE PRÆCEPTO CONFESSIONIS ET COMMUNIONIS ANNUÆ.

35. De præcepto annuæ confessionis; an obliget qui tantum habet venialia et an debeat prævenire qui prævidet, etc.
36. An qui anno præterito neglexit confessionem, teneatur confiteri quamprimum; et quot peccata committit qui negligit illam.
37. An qui confitetur anno sequenti, satisfaciatur præteritis obligationibus.
38. Pœna in transgressores.
39. De præcepto Communionis paschalis.